DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

FASCINATIONE PUERORUM ET ADULTORUM.

Quam

Sub PRÆSIDIO

Sacro sanctæ Trinitatis,

Felicissimæ Machinationum diabolicarum vastatricis & debellatricis,

Ex

DECRETO ET AUTORITATE NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI,

In Inclyta Argentoratensi Academiâ,

COLLEGII MEDICI,

PRO

SUMMIS IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME CONSEQUENDIS SOLENNI

Eruditorum disquisitioni submittit

JOHANNES SEBASTIANUS OTTO

Ulmens.

ad diem 23. *Mens. Mart. M DC LXIV.*

ARGENTORATI,

Literis Joannis Friderici Spoor.

36

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Plurimum Reverendo, Amplissimis, Excellentissimis, Consultissimis, Experientissimo,

Dn. MARCO OTTONI, JCto, plurium Statuum Sacri Romani Jmperii, inprimis Jnclytæ Reipubl. Argentoratensis Consiliario, & Advocato eminentissimo, Dn. AGNATO Parentis instar observando, & Patrono summè colendo.

Dn. JOHAN. CONRADO DANNHAWERO, S.S. Theol. Doct. & P. P. famigeratissimo, Conventus Ecclesiastici Præsidi, Capit. Thomani Decano, Fautori sanctissimè venerando.

Dn. SEBASTIANO OTTONI, JCto, Serenissimi Ducis Würtemberg. Weilthing. Reip. Ulmensis, aliorumq; Statuum Jmperii Consiliario & Advocato ordinario, Dn. PARENTI filiali observantiâ prosequendo.

Dn. JOH. FRIDERICO BEZÆ, Medicinæ Doctori & Practico excellentissimo, experientissimo, Patrono & Hospiti benignissimo,

Hâc Disputatione Inaugurali

obsequi sua deferre

voluit, ut debuit

JOH. SEBASTIANUS OTTO.



I. N. D. I. C.



TArtareum illum Piſcatorem magnæ eſſe virtutis, virium valentiſſimarum, calliditatis incredibilis, ſapientiæ plus quàm humanæ, perſpicacitatis acutiſſimæ, vigilantiæ ſummæ, artificii, technas ſtruendi pernitioſiſſimas fuco ſpecioſiſſimo, incomparabilis, malitiæ infinitæ, odii erga genus humanum, quod perpetuâ conſectatur invidiâ, ἀσπόνδου καὶ ἀνηκέστου, docent ſacrarum literarum monumenta; quibus Patrum plerorumque accedunt ſcripta; quorum veritatem abundè ſatis confirmat experientia. Illa plurima magni momenti dicta, magnique ponderis exempla ſuppeditant; Spiritus ſanctus adumbrat *eum* ut venatorem, leonem rugientem, aliter: exempla *Idem* depingit Hiobi, Saulis, lunatici. Iſta Tertullianum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Euſebium, cumprimis verò, lacteum eloquentiæ flumen, Lactantium Firmianum, agnoſcunt. Dæmones ſunt ſpiritus nocendi cupidiſſimi, à juſtitia penitus alieni, ſuperbiâ tumidi, invidentiâ lividi, fallaciâ callidi, Auguſtinus. Hoſtis ille l. 3. d. civit.
Dei & Eccleſiæ, (inquit Euſebius) potiſſimum omnis honeſti oſor & malitiæ amator, nullam unquam rationem hominibus inſidiandi intentatam omittit. Dei, c. 22. l. 5. c. 14. Hiſt.

Hanc, fidiſſimam rerum magiſtram, palam faciunt mentis turbationes, corporisque ægritudines, quibus homines, permittente Deo, ab hoſte infenſiſſimo, miserè contorquentur: ſenſus namque exteriores ab eo decipi infinita probant exempla; interno autem ſenſu, ut inſtrumento utitur idem, quo aliquid attentet ac moliatur in ipſas animæ potentias. Et phantaſiam

dem semper simul turbat dæmon, cum lycanthropiam hominibus persuadet:

Quô referendam judicat Jordanus Turcarum incantationem, quâ servos fugitivos retrahunt, nomine eorum in schedulâ scripto, eoque suspenso & diris devoto, Bartholomæo Georgievizio memoratam; nempe fit vi dæmoniacâ, ut fugiens putet sibi in itinere vel leones, vel dracones incurrere, vel mare, vel flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere, iisque terriculis repulsus ad herum in servitutem pristinam, morte duriorem, redit.

de moribꝰ Turcarum.

Quid de morborum inflictione proferamus? annon omnia tria morborum genera inducere valet Dæmon? Intemperie corporis humani variè abutitur: conformationem multifariam labefactat, totum quandoque corpus enervando, articulis velut tormento luxatis, divulsisque: ad continui solutionem pertinent fracturæ crurum & brachiorum, quales messores Russorum, nisi protinus, spectro viso, in terram proni concidant, experiuntur. Ex quibus elucescit, cognitionem *morborum ex Fascino* haud superficiariam de se spargere Medicis utilitatem, cum non rarò in talibus morbis consulantur; ut patet ex Amato Lusitano, cent. 6. obs. 87. qui, cûm mulier quædam apud Judices accusata esset, quòd juvenem nobilem excantamentis surdum reddidisset, ipse, an surditas illa ab incantamento, vel causa naturali, provenerit, consultus est.

Ea propter cùm Examinibus ritè peractis, *ab Amplißimo Facultatis Medicæ Senatu*, pro Summis in Arte Medicâ privilegiis & honoribus legitimè consequendis, Disputatio placidæ Doctorum censuræ submittenda gratiosè sit concessa, *de Fascinatione puerorum & adultorum* quasdam lineas ducere nobis constituimus, difficilem quidem materiei delineationem, tùm quoad se, & paucissimorū Autorum operam, quam ipsi dedicarunt, facilè agnoscimus, attamen eò magis virgulæ censoriæ vibrationem leviorem speramus, quò minus frequens in foro medicorum venditari solet; nec pigebit, sicubi hæsitamus, quærere; nec pudebit, sicubi erramus, discere. Summi Jehovæ auxilio præpotenti, quod humili flagitamus animo, suffulti atque sustentati.

Thes. I.

Th. I. Non rarò pueris & adultis accidit, ut adeò emarescant & macie corripiantur universi corporis, cum febre, vigiliis, inappetentiâ, & aliquando sine febre, quòd Medici quandoque sententiam ferant, fascinatione esse affectos.

Ideoque hujus definitionem, Causas, Signa, curationem, delibaturis, frustraneam operam insumere, nobis non persuademus; antequam autem talia degustemus, generalem tractationem de *Fascino* præmittendam esse judicamus, in cassum namque allaboraturi videremur, quod si quæstioni, an sit, primo loco non fecerimus satis. Quæstio igitur primaria hæc est; *An dentur morbi à Fascino?*

Th. II. Sunt nonnulli, hanc sententiam foventes, non solùm infantes, qui optimè valent, sed & alios in tabem & pessimum statum conjici, immò & res alias posse læsioni esse expositas. & quidem tribus modis. Primo, visu; deinde, voce. Tertiò, contactu & contrectatione: Atque hanc suam opinionem probare satagunt, primò variis exemplis, & Poëtarum, Historicorum, ac Philosophorum autoritatibus.

Plinius ex Trigono scribit, quòd in Triballis & Illyriis sint, qui visu effascinent, interimantque, quos diutius intuentur, iratis præcipuè oculis. l. 7. c. 2.

Idem scribit, in Africâ familias esse effascinantium, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Joh. Baptista Codronchius, veneficæ mentionem facit, quæ solùm ventrem fœminæ cujusdam blandè contrectando fœtum ejus enecavit. de morb. venef. l. 2. c. 3.

Th. III. Deinde idem rationibus probare, & eorum, quæ allata sunt, causas reddere conantur; & primò quidem ἀποῤῥοίας illas & vaporum effluvia afferunt, qui non solùm ex animalibus, sed & plantis & gemmis fiunt; & in specie, de *visu* addunt nullum reperiri in humani corporis fabricâ sensûs organum, quod tanta spirituum copia scateat, & fulgorem ex se emittat, ut oculus, idque exemplo micantium Augusti, & Tiberii Cæsaris oculorum è Suetonio probant.

Secundò in specie id declarant exemplo fœminarum menstruo laborantium, quarum superventu acescunt musta, flave-

ſcunt tactæ fruges, alvei apum emoriuntur, ſpecula lucidiſſima, ſi ea inſpiciant, inquinant. Cùm ergò in mulieribus tale quid generari poſſit, non impoſſibile eſſe, putant, homines quosdam talem nocendi vim habêre poſſe. 3. Exemplum baſiliſci, qui ſolo viſu necare poſſit hominem, adducunt. 4. Ex viribus imaginationis idem probare conantur.

Th. IV. Alii, contra, omnia illa, quæ de Faſcinatione dicuntur, fabuloſa & falſa eſſe exiſtimant. Ex hâc ergò controverſiâ ut nos expediamus, primò ambiguitas vocabuli Faſcini diſtinguenda. Cùm enim vocabulum *Faſcini* tribus modis accipiatur, etiam non una, ſed triplex quæſtio eſt, an dentur morbi ex Faſcino.

Th. V. Primò enim faſcinatio ſumitur ſenſu vulgari, qui apud Poëtas occurrit, & in vulgi ore ac animo eſt, quæ ſolo viſu ac voce, vel tactu induci putatur. Secundò Faſcinatio interdũ accipitur pro læſione, quæ alicui à corpore alio noxio & venenato per occultas ἀπορρόιας & effluvia affertur. Tertiò eſt Faſcinatio *magica* dicta, quæ nihil aliud, quàm incantatio & veneficium. Et quidem quantum ad *Secundum Genus*, *Reverendus noſter Senex*, *Dn. D. Melchior Sebizius*, *Patronus obſervanti animo omni ætate proſequendus*, in quâdam Diſputatione, de *Contagio*, occulta rerum effluvia dari concedit: propriè autem Faſcinatio non eſt, ſed morbi, qui inde excitantur, ad morbos contagioſos & venenatos optimo jure referri poſſunt.

Th. VI. *Primum genus* faſcinationis dari inficiamur, nullumque eo morbum induci poſſe; & quæ de eo vulgò creduntur & dicuntur, fabuloſa & ſuperſtitioſa eſſe; omnia verò, quæ ad id probandum ſupra allata ſunt, ſaltem de effluviis illis occultis vel incantationibus magicis vera eſſe ducimus. Et *viſum* quidem quod attinet, cùm viſus ſit actio immanens, & fiat per ſpecierum viſibilium receptionem, non ſpirituum opticorum emiſſionem; & viſus, quatenus talis, ab objecto aliquid recipiat, non verò in objectum agat, facilè hinc patet, *viſu*, quatenus talis, neminem alteri aliquid damni afferre poſſe.

Th. VII. *Vocis* eadem ratio eſt, etenim vox, quatenus talis,

talis, nullam nocendi vim habet, si quis verò alicui nocet, id potius per effluvia illa maligna accidit; quæ ex ore cum voce exhalant. *Tactu* denique non solùm corpora ægra aliis suos morbos, ut Luem Veneream, pestem, communicare posse, manifestum est; sed & ea corpora, quæ quidem nullo morbo laborant, & in speciem sana sunt, etsi venenata sint, aliis contactu nocere possunt. Qualis fuit puella illa veneno nutrita, Alexandro M. ad eum perdendum dono missa. Verùm ista ad *Fascinationem* nihil faciunt, nec taliter læsi, fascinati esse dicuntur; & quando per *tactum* læsiones fiunt, per effluvia è corporibus ægris aut venenosis fiunt; His autem non præsentibus solo contactu læsione factâ, ad actiones magicas pertinet.

Th. VIII. Quæ omnia facili negotio argumenta fascinationem probantia solvere poterunt. Exempla ex Poëtarum & Historicorum scrinio deprompta, plurima falsa & superstitiosa deprehenduntur, si quæ verò reverà acciderint, ea vel effluvia occulta, vel incantationem agnoscere, in propatulo est. Ratio de ἀποῤῥοίαις petita, nihil ad rem facit; morborum genetrices esse, effluvia illa occulta, concedimus, sed læsiones illas, fascinationes, negamus. Exempla fœminarum & basilisci nil probant, nec læsiones istæ à visu, quatenus talis, sed effluviis, à fœminarum ore & naribus potius, quàm oculis, exhalantibus, proveniunt. Magnas imaginationis vires largimur, eas autem extra corpus proprium se extendere, & vel in aërem, vel in aliud externum corpus agere, falsum judicat Clar. Sennertus.

Th. IX. *Tertium genus* Fascinationis dicitur *magicum*, seu diabolicum, & propriam Fascini denominationem obtinet, quodque nostro proposito est destinatum. De *tali* igitur controversia agitatur difficultate non destituta, & quæ plurimorum virorum aciem ingenii exercuit. Saniora judicia censentur affirmantium. Nec abs re, consona namque in scriptis Theologorum, Jurisconsultorum, Medicorum & Philosophorum plurima reperire licet.

Signa morbi speciem patefacientia; curationes, (in quibus quæ observanda, inferius indigitabimus) & exemplorum varietates, à viris fide dignissimis desumtæ, idem docent & firmant;

mant: inspiciatur historia puellæ, mirabili vomitu vexatæ, quàm proponit, oculatus testis Cornelius Gemmæ. (l. 2. d. div. nat. charact. c. 4.) Haud dissimilem vomitionis narrationem, in melancholico, ex Franc. Hildesheim. spic. 2. hauriri potest. Baptist. Codronchius Comitis in Argentoratensi ditione meminit, qui per tres annos ligaturâ tenebatur. Abortus exemplum petatur ex dictis: Amoris & odii inter conjuges idem suggerit Codronchius, (de morb. venef. l. 3. c. 6.) & quidem juvenis meminit, qui adeò perditè, veneficam mulierem adamavit, ut formosam alioqui uxorem unà cum filiis reliquerit, & cum pellice suorum immemor vitam eousque traduxerit, donec uxor veneficii instrumentum invenisset; bufonem nimirum sub lecto ollæ inclusum, consutis oculis, eo igitur abrepto, & oculis solutis, postea igni concremato, confestim vir, suorum recordatus, tanquàm è somno surgens, ad uxorem & filios est reversus. Ophthalmiæ ex incantatione meminit *vir quondam Excellentissimus, Gregor. Horstius.* (in epist.) Pestis Hercules de Saxoniâ: Picturæ miraculosæ, Hahnius; aliorum alii.

Huic sententiæ sint licet ex parte adversi, Johann. Wierus, (l. 3. d. præstig. dæmon. c. 14.) & Cornel. Looseus, sagarum strenui patroni, læsæ imaginationi, à dæmone corruptæ, tribuentes, ut hâc ratione lamiæ fecisse constanter fateantur, quæ nec facere potuerint, nec in rerum naturâ unquam fieri ipsa natura patiatur; additque Wierus, diabolum ad eam rem maximè iis uti, qui sunt melancholici, tristes, DEO diffisi, impiè, illicitè curiosi, perversè in religione Christianâ instituti, mulierculæ effœtæ, stupidæ, sensibusque vacillantes. Plerique tamen virorum doctorum verentur, ne sit erroneum hoc λίαν μέγα παράδοξον ϗ ἄιτημα Wieri, viri quantumvis maximi. Luculentè hoc scriptis passim demonstrarunt eruditi, nec fert ratio instituti nostri, in eo multis hîc occupari. *Qui negant maleficium*, verissimè scribit Delrio, eos & sacræ literæ, historici, poëtæ, communis consensus & seculorum omnium memoria damnat. Nec Wierus quæ objicit, magni momenti sunt: etenim non solùm anûs melancholicas, & imprudentes fœminas, sed & juvenculas, viros item nullo modo melancholicos talia perpetrasse, historiæ testantur.

Et si saltem melancholicæ & deliræ essent veneficæ, omnibus,

bus, ut solent melancholici, palàm sua mirabilia patrandi scientiam prædicarent, quod tamen nullæ veneficæ faciunt. Præterea si melancholicæ essent fœminæ, quî fit, inquit *doctissimus Sennertus*, quod tot seculis, tot diversis locis captæ sagæ in confessionibus consenserint; equidem melancholici plurima incredibilia sibi persuadent, & vix duo reperti, qui unum sibi imaginati fuerint.

Th. XI Sed calami cursum luxurientem intercipimus, & Generali, de Fascino, tractationi, specialem, puerorum & adultorum, subnectimus, à *definitione* exordientes; talem autem in scenam producimus, quæ eam differentem reddat ab aliâ macie, & affectu quocunque. & est.

Th. XII. *Fascinatio* puerorum & adultorum est maligna consumtio universi corporis; propter facultatem nutritivam totius frustratam à maleficâ vi. Definitio.

Th. XIII. Quæ definitio ut benè elucescat, sub incudem revocanda, & scrupuli, ipsam infestantes, averruncandi. (per consumtionem maleficam, seu malignam) intelligimus maciem, tabem, & diminutam quantitatem occultam, abditam, admodum adversam, & contrariam naturæ humanæ, quæ aliquando vocatur à Galeno, à proprietate totius temperamenti, totius substantiæ, & totius formæ; *Verùm*, cur consumtio malefica debeat appellari, non immeritò explorandum; cùm possit concitari à menstruata muliere, ut docet Arist. nec non etiam à viris, qui pravis nutriuntur cibariis, ut erant populi illi in Thessaliâ, & puellâ illâ asueta venena sensim & sensim assumere, plantasque venenatas; coacervabantur in his excrementa prava, à quibus vapor malignus effluebat, & hinc fascinabat, & lædebat nutritivam facultatem. Præterea, nonne à cœlo, à victu pravo potest oriri hujusmodi consumtio? Ergò non appellanda malefica; nonne scabies, phthysis, lepra, hectica febris, & plures alii affectus valent inficere corpora humana, & in tabem transmutare?

Th. XIV. Ergò dicendum, nomen, *maleficum*, duabus absolvi significationibus, & dupliciter usurpari. *Primò*, pro quolibet pravo humore contrario ex toto temperamento tem-

periei naturæ humanæ. *Altero modo* accipitur, prout vel mediatè, vel immediatè à dæmone & pravis hominibus exurgit, respectu agentis, & modi agendi, quia modus, quô dæmon utitur, & striges, est admodum occultus, & ultra naturalem, ac ordinarium modum agendi; & hoc pacto, & ratione noxæ, & modi, & dirigentis, nempe dæmonis, debet appellari maleficus propriè, exquisitè, & simpliciter. Ex quibus inferre minimè licet, definitionem esse imminutam, cum ab aliis causis commemoratis, hæc consumtio ortum suum agnoscere possit; respondendum enim, concedendo, sed nos de Fascinatione maligna & maleficâ, præcipuè factâ à dæmone, vel ab incantationibus & strigis, sermonem instituere.

Th. XV. (Per universum corpus) intelligimus præcipuè partes carneas ac pingues, nam pinguedo primò, & postea caro absumitur, & tandem & partes spermaticæ, & illarũ humiditas contabescit, ut aut marasmus torridus, aut frigidus, aut hectica appellari possit. Et quantumvis nonnunquam partes particulares, ut ventriculus, cerebrum, aliæ, afficiantur, attamen illarum maciem particularem universalis insequi solet; universum quidem corpus est subjectum universale Fascinationis; alia verò membra erunt subjecta particularia causæ antecedentis, à quâ postea macies producitur universalis maligna gradu & noxâ.

Th. XVI. (Pueri & adulti diximus) quia loquimur præcipuè de hâc ætate, usque ad annum 14. qui ob laxam & tenellam carnem facilè recipiunt impressionem maleficam, nam actio activorum fit potissimum in patiente benè disposito, ut docebat Galenus & Arist. Et licet aliarum ætatum aptitudinem ad talem labem suscipiendam concedamus, notandum tamen, nos loqui de illâ, quam ut plurimùm evenire videmus, & de corporibus magis aptis, uti corpora puerorum calidorum & humidorum.

l. 1. d. diff. febr. c. 4. 2. d. animâ.

Th. XVII. Remanet, ut altera pars definitionis explicetur, quæ erat quidditas & causa efficiens maleficæ consumtionis; (propter nutritivam facultatem frustratam totius corporis à maleficâ vi) Si facultas nutritiva universi corporis frustratur,

necef-

necessariò alimentum non potest optimè confici, hoc vitium pertinet ad concoctionem ultimi alimenti, nempè sanguinis & humorum secundariorum. Equidem frustrari potest in universo corpore, vel ob morbos, in intemperie, vel malâ compositione, vel solutâ unitate: vel ob causas morbificas: vel symptomata, sed potissimum semper vitio alimenti ultimi & immediati, quod vel peccat substantiâ, quantitate, & qualitate. Nec aliquis nobis objiciet, facultatem, tanquam formæ substantialis potentiam, non esse alterabilem, (attestante Aristot. Si senex haberet oculum juvenis, videret, ut juvenis.) igitur facultas nutritiva semper eadem in juvene, & in sene. Dicimus enim, omninò facultatem in se esse impassibilem, sed variari & lædi, quia læduntur ejus immediata instrumenta, quibus utitur ad operationes suas edendas. *Et hisce causas internas* absolvimus.

Th. XVIII. Tandem addimus (à vi maleficâ) quæ est igitur hæc vis malefica, quæ valet malignè lædere facultatem nutritivam, & malignum effectum parere in universo? malefica vis duplex ab autoribus statuitur; una est malefica, quæ licet producatur à causis naturalibus, attamen est admodum adversa & occulta naturæ humanæ, potest produci (juxta Collem) vel à cœlo, & motu astrorum maleficorum: Saturni & Martis, quæ causæ dicuntur astrales: vel, *Secundò*, ab aëris pravâ constitutione, benignâ, vel malignâ, contagiosa, vel non contagiosâ, epidemia, vel endemia, vel sporadicâ: vel, *tertiò* à victu, nempe, cibis & potibus. *Quartò*, à Semine vitioso, unde morbi hæreditarii & nativi; Et hæc est impropriè dicta Fascinatio- nostroque Themati aliena. Altera verò malefica vis suscitatur immediatè à dæmone, vel mulieribus maleficis, cum expresso, vel tacito pacto dæmoniaco: *quæ propria* & legitima Fascinatio est, nostræ considerationi occurrens.

Th. XIX. Dicitur *malefica vis* & nobis ignota, & dæmoniaca, non solùm quia producitur à dæmone, sed quia modo occulto, & nobis ignoto, & admirabili, nutritivam lædit. Viri etiam & mulieres maleficæ his modis *virtute dæmoniacâ* in corpus agere, idem asserit *Colle*, utuntur osculis, cibis, philtris, tactu, halitu, incantationibus, aliis, per quæ omnia transit

occulta quædam vis efficacia dæmoniaca adversa naturæ humanæ, & admodum destructiva, hinc nutritiva vis, & præsertim nutritiva instrumenta, quibus utitur ad nutritionem, læduntur, & à totâ substantiâ, totoque temperamento, secundum omnes, primas & secundas qualitates ejus. A quibus fortean
l. 3. disp. part. p. 1. § 4. f. 6. non abludunt verba Delrio; dæmonem, scribit, esse causam externam, eo quod extrinsecus advenit corpus inhabitaturus, & morbos illi illaturus. Dico ex rebus venenosissimis eum educere quandam quasi quintam essentiam, (ut ex gemmis & auro solent chymici) & eâ inficere ipsos Spiritus vitales, & sic eum malefico morbo imbuere. Hæc ille.

Th. XX. Ista autem, quam posuimus, *malefica vis* scrupulum alicui injicere posset, cùm hanc consumtionem Deus, & ipsi Angeli boni, producere possint, & Angeli mali nihil agere queant, nisi permittente Deo, quomodo igitur dictum, à maleficâ vi? Respondemus, posse Deum, & Angelos multas infirmitates parere, ut testantur sacræ paginæ, & propter justitiam, & propter vindictam, aut ut manifestetur gloria Dei, aut ut impii corrigantur, aut ob alia arcana, & Dei consilia nobis ignota, quæ tamen omnia ad salutem humanam diriguntur; *dicendum* igitur, nos per maleficam vim præcipuè intelligere dæmones, vel ejus ministros, quia effascinatio potissimum excitatur ab his, & malis Angelis, ac ministris eorum.

Th. XXI. Antequam pedem moveamus ad alia, digressioni paululum studebimus. Dictum, dæmonem, modo agendi, nobis ignoto, vim maleficam, quâ nutritiva facultas infirmatur, exercere: contrarius videtur *Joann. Marcus Marti*, (*Excell. D. Jo. Daniel. Horstio, vir apprimè doctus & excellens*) quem nonnulli modum agendi Satanæ explicatiori stilo indigitasse, scribunt: lubet *viri acutissimi* verba, quoniam librum istum paucissimorum manus tractant, huic paginæ inserere: Cùm fascinum requirat certam distantiam, quò illius vis eò pertingat, necesse est, effluvium quoddam corporeum eousque produci; quod non aliter corpori incidit, quàm halitus mulieris menstruatæ speculo; spiritumque insitum, atque hujus archæum (quem præsupponit) labefactat, vi narcoticâ oppilando eo modo, quô umbra hyenæ canes, cujus indicium exercitatio crebra, cum pan-

in Philosoph. vet. restit.

dicu-

liculatione. Quam quidem oppilationem adducit idea ex admiratione invidioſa eidem effluvio impreſſa; & niſi remedium citò adhibeatur; febris ephemera, inde putris, ac demum mors ſequitur. Confirmat hunc affectum illius remedium, ſuffumigatio nimirum ex certis herbis, & abſterſio per urinam, ſive aquam nitroſam; quam mulieres hîc injectis carbonibus ignitis parant: eâque halitu illo à ſuperficie corporis deterſo, ipſum purum ac perſpirabile reddit. Amuleta verò & periapta, quæ contra faſcinum appendi ſolent, cujuſmodi peciæ panni rubri, dentes apri, partim ideas narcoticas cum effluvio diſſipant, partim objectum fiunt admirationis, quò in iiſdem imaginatio malefica ſiſtat. *Hæc Marci*: cujus ingenii acumen mirari potius, quam rimari hâc ætate mihi conceſſum.

Th. XXII. Explicationem definitionis exaratam pauciſſimis ſequuntur Faſcinationis differentiæ; quæ petuntur à formâ, & ſede affectâ; ratione formæ, erit vel mediatè, vel immediatè à dæmone introducta: ratione loci affecti, vel occupatur univerſum corpus, vel pars aliqua peculiaris, at ſemper vel ventriculi, vel hepatis, adeſt læſio. Differentiæ.

Th. XXIII. Deguſtatis differentiis tractatio *de Signis* tramite recto incedit, quæ difficultatis non expers, cùm mille formarum protheus naturalibus cauſis ſeſe ſæpè immiſceat, iiſque utatur, ut non facilè ſit diſcernere, quid à cauſis naturalibus, quid ab ipſo dæmone profectum ſit. Immò in iis, quos obſedit ſæpè ſat diu ſub naturalis morbi larvâ latet; exemplum ejus rei extat apud Fernel. qui ſub larvâ epilepſiæ naturalis diu cum Collegis deceptus fuit, irriſis ultimò à dæmone Medicis, quod multa periclitati temerè eſſent, ac irritis pharmacis juvenem penè jugulaſſent: æquè deluſus fuit Jo. Echtius, Medicus Colonienſis, pilulis de cynogloſſâ puellæ clam obſeſſæ ſomnum conciliaturus, quarum unâ devoratâ, digitoque alterum oculum occludente ægrotâ; *vide*, inquit dæmon, *quàm egregiè nunc dormiam*. Arduum itaque erit, nec, loquitur Jordanus, cujusvis medicaſtri, talibus in morbis, (ſive ſint obſeſſorum, ſive faſcinatorum:) cum Antonino Cæſare ingeminare illud Galenicæ induſtriæ debitum; αὐτό ἐςιν, αὐτὸ τοῦτο, ὃ εἶπες, ἐςίν! Signa. l. 2. d. abd. rer. cauſ. c. 16.

 Th. XIV. Dif-

Th. XXIV. Difficultate interim mente non deterritâ, ſigna iſta accuratè Medicis examinanda veniunt, ne & nos in ſuſpicionem vanam morbum dæmoniacum trahamus, atque ob hanc cum Ludovico Dureto, Altino, Jo. Riolano, aliisque Gallicis Medicis, cùm ejuſmodi ſeſe offerunt ægroti, riſum eruditis debeamus. vid. Thuan.

l. 123. de Marthâ Broſſeriâ.

Th. XXV. Quæ autem *generalia* certa ſtatuenda ſint, primâ fronte ſpeculo lucido ſeſe non offerunt; circumferuntur varia, quorum numerum complent multa ſuperſtitioſa & diabolica, cujus generis ſunt explorationes per plumbum liquefactum (Saturno enim planetæ hanc vim tribuunt) per ſpeculum Salomonis, per roſas, ſulphur, thus; æquè ſtulta & diabolica eſt admotio illa columbi ſciſſi ad orificium ventriculi, cum verborum quorundam admurmuratione: nec non verbenæ illud decoctum Baptiſtæ Codronchii, quô ægrum nonnulli abluere jubent, & ſi in decocto illo pili intus reperiantur, ajunt veneficium adeſſe, eo gravius, quo major copia, ſin verò nigricet decoctum, præſtò eſſe ipſum gentis humanæ hoſtem. Jo. Agricola talem tractat explorationem, quæ fit ope cinerum, quibus, urinâ ægroti irrigatis, ſi innaſcantur pili, certum adeſſe ſignum morbi effaſcinati; & ſubdit; wie dieſes nun mag zugehen / darff wohl nachdenckens / interim iſt es gewiß.

in Chirurg parvâ.

Th. XXVI. Quas plerasque celeberrimus D. *Sennertus* ſufficienti fortean redargutione proſequitur, cùm in ſpecie verbenæ decoctum his verbis alloquitur; cùm vi verbenæ pili illi nec generari in aquâ, nec è corpore elici poſſint; quis non videt, diabolum, qui morbum intulit, eos, qui ſuperſtitionem illam tentant, ludere.

in libro Sacerdotali.

Th. XXVII. Sammarinus inter maleficii ſigna numerat colorem faciei citrinum; oculos conſtrictos, membra ligata, humeros deſiccos, cor conſtrictum, & os ſtomachale; in renibus dolorem, quaſi à canibus lacerentur membra, bolum in gutture aſcendentem & deſcendentem; & nonnulla alia parvi momenti; quæ multis etiam aliis naturalibus morbis competere, nemo non illicò animmadvertit, clamat Jordanus; Tandem addit; potiſſimum, quando medicinæ applicatæ nihil proſunt infir-

ıfirmo. Hoc optimum ejus ſignum, idem judicat; nempe ſi eritorum Medicorum cadat in vanum labor.

Th. XXVIII. *Placet*, ſpecialioribus generaliora præmittere gna, quæ poſtmodum illis ritè applicari poſſunt: ne autem uis demonſtrationibus inhiet apodicticis, præmunire lubet erbis Delrio, de inquiſitione ſagarum, quæ commodiſſimè oſtro huic negotio accommodari poterunt: *In re adeò occultâ*, & arduæ probationis, non eſt moderati aut ſenſati hominis, denonſtrationes exigere, vel probationes luce meridianâ clariores; ſed circumſtantiæ omnes diligentiſſimè debent perpendi.

Th. XXIX. *Primum* ergò & præcipuum morborum à veneficiis illatorũ ſignum peti poteſt à juvantibus & lædentibus, quando morbus nullis remediis, quantumvis exquiſitiſſimis, (ut in juvene Ferneliano) & ſecundum rectam rationem, & longam experientiam adhibitis, cedit, ſed indies ſchemate deteriori veſtitur. II. Quando Medici, quiq; doctiſſimi & experientiſſimi in morbo cognoſcendo dubii ſunt, & hæſitant, ac omninò fluctuant, & vix aliquid certi, quô vel ſibi ipſis ſatisfaciant, ſtatuere poſſunt. III. Signum eſt, quòd, cùm morbi naturales ſenſim incipiant, & ſua tempora percurrant, & ad ſtatum perveniant, morbi à diabolo inducti, ſæpè nullis præſentibus cauſis, praviſque humoribus, ſtatim in ἀκμῇ conſtitui videntur. IV. Si inuſitata, & à Medicis vix dum annotata, & quorum nulla dari poteſt ratio, ſymptomata ſeſe exerant; quando inſuper crebrò variant, nullo ſervato typo, vel leviſſimo, & modò in hâc, modò in illâ parte ægrotantes de dolore conqueruntur intenſiſſimo. V. Quando vel ægrotans, vel adſtantes nullibi peccant, quod morbo anſam præbeat. Addunt nonnulli & hoc, quòd, ſi ſagæ, vel veneficus, ad ægrum viſitandum accedit, ſtatim ille pejus habêre incipit, & horrore vel tremore corripitur, vel, ſi infans ſit, plorat, aliaque in corpore percipitur mutatio. Hoc verò certiſſimum eſt morbi à veneficio illati ſignum, ſi acus, cultri, & ſimilia artificioſa, vel alia, quæ in corpore humano generari non poſſunt, (niſi velis Democrateam & Epicuream revocare inſaniam, ex fortuito atomorum concurſu omnia conſtruentem) vomitu, vel per alvum ejiciantur, vel ex ulceribus & vomicis erumpant, aut extrahantur.

Th. XXX. Num

Th. XXX. Num iſta prolata ſignis *maciei effaſcinatæ* harmonicè reſpondeant, ex iis, quæ ſequentur, palàm fiet. De ſignis igitur *affectus propoſiti* breviſſimis acturi conſideramus ea ratione formæ, ſedis affectæ, & cauſæ effectricis. Innoteſcit hæc effaſcinatio, quia adeſt conſumtio univerſi corporis maligna, intenſa & extenſa, gradu, noxâ, efficacia agendi, & reſiſtendi, prava nutritio, vel cum febre, vel ſine febre, *abſque alia cauſa manifeſtâ*; & hæc eſt conſumtio univerſalis. Haud levis interea difficultas occurrit, quomodo diſtinguenda à phthyſi, vel hecticâ, maraſmo torrido vel frigido; diſtinguitur autem his ſignis. I. non habet cauſam manifeſtam. II. non poteſt tolli contrariis applicitis remediis. III. macies eſt ad extremum gradum efficaciæ & reſiſtentiæ. IV. Alimenta, licet ſint εὔχυμα, εὔπεπτα, καὶ πολύτροφα, rectaque methodo adminiſtrata, nihil juvant: quam veritatem Novatores ignoraſſe, ſcribit Colle. Ergò tunc aſſerendum, illam maciem fuiſſe productam à causâ maleficâ, à toto temperamento, aut incantationibus, philtris & poculis amatoriis, & egêre alexipharmacis adverſantibus à tota ſubſtantiâ ipſi maleficæ vi, & conſumtioni.

Prognoſticum.

l. 1. Epid.

Th. XXXI. PROGNOSTICUM incedit. quò ſanè nil in arte noſtra glorioſius. nempe λέγειν τὰ προγινόμενα, γινώσκειν τὰ παρέοντα, προλέγειν τὰ ἐσόμενα, juxta Hipp. Quibus omnibus adeò admirandum ſe præbuit Galenus noſter, uti, propter certitudinem prædictionum de exitu morborum, παραδοξόλογον; propter admirabiles verò ſucceſſus in medendo, παραδοξοποιὸν, plerique eum vocaverint; exceptis fortè Pyrrhoniis & Empiricis, quos inſtar mallei retudit. Summoperè tamen in prognoſtico formando cavendum à vanâ obſervantiâ, in omnium animadverſione, eſſe, inculcat Doctiſſimus Hier. Jordanus.

Th. XXXII. Periculoſam autem ſemper eſſe effaſcinationem, ſeu, maleficam conſumtionem pueri, adulti, & ſenis, aut fœminæ, *magni nominis judicat Colle*, tùm propter magnitudinem ſuæ eſſentiæ, propter præſtantiam univerſi, tum propter cauſam maleficam, & maleficam vim agendo. Deinde eſt prava ratione ſubjecti, quia e. g. puer ad annum 14. usque obtinet corpus ſatis tenellum, ad recipiendas impreſſiones aptum

ptum, & vires in hujusmodi corpore admodum languescunt: non tamen ipsos deserere debemus, vel sint lactentes, vel non lactentes, nutricem etiam respicere oportet, & res naturales, non naturales, & p. n. considerare eorum omnium; sint etiam adulti & senes.

Th. XXXII. Restat CURATIO propositi nostri affectus; cujus adumbrationem instituere, res est difficultatis plena; axiomate hanc alloquimur, cedro digno, quod Petrus Forestus de omnium morborum curatione nobis reliquit: præstat, ut in eo magis laboremus, ut fideliter curemus, quàm ut subtiliter disseramus: nihil igitur eorum, quæ ad negotium nostrum pertexendum facere videbuntur, quantum quidem temporis, & paginarum penuria, concesserit, prætermittere volumus. Curatio. in obs. medic.

Th. XXXIII. Multi, (quod dolendum) naturæ & artis prætextu, velut duorum velaminum, magica & superstitiosa palliant remedia, alii prorsus illicita & diabolica commendant, alii solis naturalibus omnia transigi putant.

Th. XXXIV. Nos ductum sequemur plerorumque authorum, trivialem in morbis ex Fascino curationem nectentium, eam dispescentium *in magicam, naturalem, & divinam.* Et ut primò de *Magicâ* dicamus, illa, Hippocratis ætate, ubi *divini* suspicio in morbis aliquibus suboriebatur, locum sibi procuravit; morborum namque paulò abstrusiorum curandi ratio erat, aut ceremoniis quibusdam uti, aut Deos vel oracula consulere. Et pleraque oracula priscis temporib⁹ per maleficas dæmones fundebant, tale antiquissimum omnium extitit Dodonæum in Græciâ. Horum causam physicam à multis allatam refutavit Jordanus. Magica.

Th. XXXV. Nec olim tantùm, sed hodieque, maximo Christianismi damno, veneficii solutionem inprimis promittunt sagæ & venefici, ad quos sæpe vulgi, utinam interdum non etiam eorum, qui plus vulgo sapere debebant, fit concursus, tritum illud in ore habentes; *qui ligavit, ut solvat, necesse est.* Qualis saga in Constantiensi agro superiori seculo adeò celebris fuit, ut Dominus vici Richtighauen ob hominum immensum confluxum canonem ab eâ exigeret; præter sagas consuluntur etiam arioli, magi, incantatores, necromantæ, adjuratores, quæ monstra hominum omne penè seculum tulit.

Th. XXXVI. Blaſphemum *Paracelſi* os, nihil referre, ait, an DEUS, Angeli, aut Diaboli opem ferant, dummodo quis ſanetur. Scribit namque, inſtinctu haud dubiè Satanico, hoc modo: Si DEUM toto corde amemus, etiamſi Diabolus nobis offerat argentum, aurum, juvet nos, exhibeat nobis medicamenta, eripiat nos ex carcere, credendum eſſe, hoc juſſu Dei fieri. verùm magna hæc *Paracelſi* eſt impietas! etenim diabolus, infenſiſſimus gentis humanæ hoſtis, & ab initio homicida eſt, & propterea, nihil boni, ac nullius morbi curatio ab eo ſperari poteſt. *Chryſoſtomus* rectè ſtatuit, potius mortem homini Chriſtiano obeundam, quàm vitam hominis ligaturis redimendam. Et *Leo* mandat literis, beneficia dæmonum omnibus eſſe nocentiora vulneribus. Graviter *Martinus Del-Rio* Jeſuita; *Transfugæ* ad Diabolum adeò divinam iram inflammant, pertinaci cupiditate, ut DEUS vel ſinat illos à dæmone necari, vel, quæ gravior adhuc eſt pœna, ad eorum ſummum malum ſinit illos, quod expetunt, ope dæmonis conſequi. Sed dies veniet, quando intelligent, longè ſibi utilius fuiſſe morbo affligi, immò & per ſummos diuturno tempore cruciatus emori, quàm ſuperſtitioſis artibus ſanari. *Hæc Del-Rio.* Quid multis? ipſe *Iehova* ſeverè prohibuit magos conſulere; anima, *inquit Dominus*, quæ declinaverit ad magos, ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, exſcindam eam de medio populi mei. Itaque ſi remedia naturalia non proſunt, ab uno Deo auxilium petendum, qui, ſi vult, ſemper juvare poteſt, ſi non vult, in ejus auxilio acquieſcendum.

de morb. invisib.

Th. XXXVII. Quibus autem *mediis* Curationem morborum ex Faſcino, & per conſequens, propoſiti noſtri affectûs, magicam perficere ſoleant, non latet, patet namque iſtarum ceremoniarum magicarum maxima varietas, ut huic Augiæ ſtabulo repurgando vix Herculis (uti ajunt) boves ſufficerent. Fuêre ejus generis jam tùm olim apud Ægyptios, carmina ſecreta & incantationes magicæ. Perſarum figuræ, characteres innotuerunt. Apud Indos olim ſolam fuiſſe medicinam, incantationem, autor eſt Strabo. De Tartarorum ſuperſtitione Plutarchus quædam habet. De Græcanicis nugis Plato. Quæ Philaſtrius de ſuperſtitioſis Hebræorum phylacteriis ad imaginem ænei ſerpentis Moſaici habet; deque Judaicis, Joſephus, notum.

4. de Republ.

in hæreſiū catalogo.

In

Th. XXXVIII. In superstitiones æquè absurdas consensêre Arabes, quorum nobilis sectator est Savanarola, multa tanquam arcana remedia, ex arte magicâ petita, pro naturalibus venditans; hodieque magi omnes. Horrenda profectò sunt, & omnem impietatem excedentia, quæ impostor ille Helvetius, *Paracelsus*, scripsit; *Characteres* etsi diaboli forent, tamen habendum esse; quasi essent pyxides ex Pharmacopolio; si diabolus verbum pro herbâ accipit, sit nobis instar herbæ, verba sunt species, (in officinis) characteres illius composita & Syrupi.

Th. XXXIX. Secus tamen sensêre etiam ê pago ipsi coryphæi nostri, Hippocrates & Galenus, minus uterque superstitioni obnoxius. Illi, seu autori libr. de morb. sacro, acriter, piè tamen, vapulant, qui orationibus, & certis ineptis sacrificijs morbum caducum se sanaturos profitebantur. *Claudius Galenus*, fraudes istas, ut aniles fabulas, simulque præstigiaturas Ægyptias & Babylonicas planè rejicit. alibi ridet infantissimos Bamachij & Cariachiri, talis farinæ, libros. Quæ sanè laudanda sunt in homine gentili; hinc maximus vir, *Isaacus Casaubonus*, de Galeno tale judicium ferre nullus dubitat: *Galenum vocari ἄθεον*, miror, virum tàm assiduum in Dei sapientiâ prædicandâ (quicquid fiat de animæ doctrinâ) Ego illum eo maximè nomine dignum laude & æternâ prædicatione semper judicavi. lib. 6. de simpl. med. facult. in præfatione. epist. 135. ad Danielem Tilenum.

Th. XL. *Carolus Magnus, laudatissimus Imperator*, phylacteria, & falsas inscriptiones aut ligaturas vocat magicæ artis insignia. *Vlpianus*, princeps Jureconsultorum, incantationes apertè rejicit & damnat, easque medicinæ annumerandas esse negat. S. Augustinus ab Ecclesiæ unione excludit, qui characteres ægrotis apponunt. l. 1. §3. ff. de extraord. cognitionib.

Th. XLI. Nec sanè abs re tales talium morborum curationes annihilandæ. Mandatum divinum, cui unicè adhærendum, superiori assignavimus loco, neque ratio deest, quæ id nobis persuadeat; etenim quid verba, characteres præstare possunt? qualem opem morbis curandis ferre incantationes, adjurationes, alia? cùm hisce nulla vis sit implantata ad morbos maleficos depellendos. nam verba saltem ex arbitrio hominum rebus imponuntur, & quidem apud nationes diversas diversa, & chartis vel illinuntur, vel ex ore proferuntur: in charta scripta saltem

 figuræ

figuræ sunt; & propterea nullius efficaciæ compotes; verba verò prolata sonus sunt, ex aëris fractione ortus, saltem auditum afficiendi, & eorum, qui unà lingua utuntur, sensa animi, patefaciendi vim habens, ipsos verò morbos, corporisque constitutionem tantum afficere non potest, quantum non potest color auditum, aut sonus visum afficere. Eadem characterum est ratio, qui cùm res sint artificiales, in corpus humanum, quod naturale est, agendi vim non habent. omnis verò agendi vis substantijs competit, quæ â suis formis agendi potentiam sortiuntur, & per qualitates efficaces sunt.

Naturalis. Th. XLII. Et Hisce, quid de *Curatione magicâ* sentiendum, absolvimus. Hanc sequitur CURATIO NATURALIS, quâ in præcipuè nobis sudandum. Cùm hæc macies & consumtio totius corporis sit dæmoniaca, & ab ipso dæmone vel immediatè vel mediatè introducta, saniorum sententia circumfertur, quâ statuitur, curam directam proponi minimè posse, h. e. non dari talia remedia, quæ immediatè agant in dæmonem, sed inducant dispositionem illi, quam ipse induxit, contrariam, aut quâ ad præstigias suas abutitur. Hanc secundariam & indirectam vim doctissimi quique agnoscunt, Franciscus à victoriâ, Dionysius Carthusianus, Franciscus Vallesius, Codronchius, & alii non exiguo numero; nam cum dæmones sint incorporei, & sensuum organis careant, à corporibus naturalibus affici, & ex iis, vel voluptatem vel molestiam percipere naturaliter non possunt.

in tract. d. fascinat. in pueris. Th. XLIII. Cui sententiæ adversam proponit *Colle*; *& hoc loco* statuendum, dicit, contra Novatores, hæc remedia alexipharmaca duplicia esse, alia agentia immediatè in dæmonem, tanquam in intellectum & substantiam separatam, & alia in effectus productos immediatè, vel mediatè à dæmone; *pergit*: sed statim dubitatur, res naturalis & materialis nequit agere in immaterialem; Respondendum, res naturales dupliciter considerari, vel ut sunt merè naturales, vel ut sunt species elicitæ à rebus naturalibus, vel ut sunt significativæ, e. g. fumus piscis inventus à *Tobia* fugabat dæmonem, non ut fumus materialis, sed ut species elicita, quæ intellecta à dæmone derogans majestati & superbiæ suæ, ille enim fumus non erat myrrhæ, vel thu-

thuris, ideò illi molesta. *Hæc Colle.* Cui respondêre non difficile fortean erit; in distinctione etenim prolatâ opponuntur sibi invicem quædam, quæ non sunt opponenda; licet enim species ex rebus naturalibus eliciantur, nihilominus participant de materiali naturâ, quamvis sit spirituosior & subtilior eâ, quæ datur in ipsis rebus naturalibus; & unde spiritualitas illa promanet, nemo facilè rationibus solidis excogitare poterit.

Th. XLIV. *Exemplum* citatum multis verborum phalangis refutaturi falcem in alienam messem mittere, fateri omninò deberemus; istud ergò accuratiori mentis indagine contemplandum aliis relinquimus: ne autem calamo planè intacto nudum conspiciatur, paucissimis id verbis, *Gravissimi & Celeberrimi Theologi, Dn. D. Dannh. Patroni mei omni animi obsequio prosequendi, salutare lubet*; Und ist demnach die sicherste Antwort im scheid- und ab-zusagen/ wer weiß ob gnugsam wahr/ was der Historicus, oder sagbrieff-vielmehr Comœdi-Tichter allhier auff die Bahn gebracht?

Verba Thyræi (de quibus alii judicent) recitamus hoc modo: *non dicitur* fumus dæmonem profligasse, sed Raphaël Angelus; protulit, dicitur Tob. c. 8. Tobias de cassidili suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos. Tunc (subjungitur) Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deserto superioris Ægypti: quid igitur est, quod dæmonium profligavit. Fumus? non Raphaël Angelus profligavit. Quomodo verò an ob excitatum fumum? nec hoc etiam; veruntamen, quando excitatus est fumus, profligatus est dæmon. Hæc Thyræus.

Vendat suos fumos Colle; vel ut magis subtiliter juxta illum loquamur, species ex illis elicitas; vendat non nobis, sed qui fumis pascuntur.

Th. XLV. *Ad Curam indirectam propositi affectûs* progredimur, qui cùm sit à tota substantiâ malignus & maleficus, requirit potius, quàm indicat alexipharmaca, & alia, quibus opus; quia indicationes curatoriæ, præservatoriæ, & vitales hauriuntur à notis, & manifestis causis, à morbis & viribus, sed in præsentia consumtio manifesta non est, sed maligna in extremo gradu, & modus, quô dæmon, vel ejus ministri, operantur, pariter est ignotus; per experientiam igitur & analogismum remedia invenire debemus, & materias remediorum alexipharmacas, quæ valeant debellare & evincere maleficam hanc vim.

Th. XLVI. *Tres* autem *fontes* limpidissimi se in conspectum pro-

 dunt.

dunt, ex quibus talia, quæ nobis facienda, hauriuntur. *I. est Pharmaceuticus*, quem sequitur *Chirurgicus*, ultimus est *Diæteticus*.

Th. XLVII. In Pharmaceutico duplicia dantur medicamenta; vel evacuantia humores vitiosos, quibus diabolus in inducendis morbis utitur; vel alterantia & alexipharmaca, dispositionibus illis, à diabolo inductis, contraria. Evacuantia sint lenientia, ob teneram puerorum ætatem, & inprimis humorem melancholicum respicientia, plerumq; enim diabolus & ejus ministri eô abutuntur, hinc *balneum ejus* esse perhibetur: hisce autē semper alexipharmaca admiscenda, quæ duplici differentiâ incedunt; alia calida frigida alia, si consumtio malefica adnexam habuerit febrem, possumus addere bezoartica frigida; si causa fuerit frigida istius consumtionis, pituitæ habeatur inprimis ratio, & ei calida admiscenda. Præparantium usûs tali modo alexipharmacis imbutorum, si necessarium duxerimus, ne obliviscamur.

Th. XLVIII. Quibus in medelam vocatis sola alexipharmaca adhibenda: formulas lenientium adscribere nolumus. Alexipharmaca autem frigida sunt, e.g. rad. nymph pentaph. pimpinell. sonchi. rosí. viol. sem. papav. jusquiami. coralla. sandali omnes. fl. sambuc. scorzonera, C. C. præp. margarit. præp. lapides pretiosi. aurum. argentum. diamargaritum frigidum. species triasantalor. cranium vulpis, lupi. lignum corni. lignum cotoneorum. *Inter calida* verò enumerantur hæc; lignum lauri, & baccæ ejusdem. Semen, cortex, & folia citri. melissa. ruta. aristolochia. angelica odorata. dictamnum creticum. scordium. verbena. lignum aloës. cinnamomum. caryoph. nux myristica, scilla, semen fœniculi macedonici. gingiber. piper. theriaca. mithridatium. sal theriacale. diambra. diamoschum. alkermes. alia. Ex quibus omnibus eliciuntur quintæ essentiæ, extracta, species. Sine dubio hûc referri potest syrup. contrajervæ *Excellentiss. & Experientiss. Dn. D. Bezæ*, Fautoris mei observanti animo venerandi, in officinis Argentoratensibus prostans.

Th. XLIX. Multa quidem alia authores communicant remedia, usu & experientia expolita; illarum tamen efficacias non alio modo accipiendas judicat *Sennertus*, nisi quatenus sunt alexipharmaca, & venenositates, à dæmone, vel ejus ministris, introductas, depellunt & deturbant.

Th. L. *Bartholomæi Carichteri* sententia hæc est; remedia, quæ adhibentur in morbis ex Fascino ortis, vires suas exerunt, quatenus influentiis Solis irrigantur, & contraria sunt iis, quæ agnoscunt Saturni; diabolus namque talia usurpat, quæ in tertio & quarto gradu sunt frigida & sicca, quæque spiritibus & sanguini planè adversa & venenosa. Hinc venæ & arteriæ obstruuntur, & necesse est, nisi illis contraria adhibeantur, hominem intra paucum temporis spatium emori. Quam sententiam multi hodierno temporis tractu exosculantur, eamque mysteriis naturæ reliquis indagandis haud parum lucis afferre putant.

Th. LI. Celebrantur autem præcipuè, hypericum, antirrhinum, aristologia utraque, herba Paris, abrotanum, viscum colurnum, alia. Carichter ipse balsamum, uti nominat, egregium describit, cujus ingrediens primarium est viscum colurnum, à quo & nomen sortitum suum: hoc in veneficis morbis præstantissimum esse satis superque edocuit *praxis*

Fami-

Famigeratissimi quondam Medici, *Gregor. Horst.* & Henr. ab Heer. hanc insuper cautionem affert Carichter, ne istud ferro tangatur, aliàs affectus in pejus mutari. Emplastr. foetidum Mynsicht. notum: nec non ab eodem potio isthæc descripta. Rec. Herb. antirrhin. c. sem. hyperic. pyrol. q. v. coquantur in cerevisia vel vino ad tertias. Ioann. Agricola in Chirurg. parv. ex Carichtero peculiare præscribit balneum infantibus effascinatis, cujus ingredientia potissimum memorata.

Th. LII. *D. Frei* suffumigium pro arcano quidam venditant, sed aliquo modo suspectum occurrit; non quidem improbamus suffimenta, quorum usus intenditur, ut cor & cerebrum corroborent, & humores malignos discutiant, ast illa damnamus, quorum ingredientium pars ex malè olentibus est conflata; idque hunc in finem, ut iisdem diabolum, ut causam externam, abigant, tales enim fœtores ex specu fœtido Papicolarum exurgunt; & jamdudum hos Iustinum Martyrem, ut Iudaicam turpem imitationem rejecisse, *Excellentissimus Dn. D. Dannhauerus docet. Et hæc de Primo Fonte*, Pharmaceutico scilicet.

Th. LIII. De istis autem remediis naturalibus tum internis, tum externis hoc observandum, si ea adhibêre libeat, (cùm sæpè in occultis morbis varia remedia tentare liceat) sine omni superstitione, ceremoniis, verborum pronunciatione, & similibus usurpanda, ac saltem eorum naturalibus viribus fidendum, cœtera committenda Deo.

Th. LIV. Quoad CHIRVRGICAS materias non videtur locus venæsectioni concedendus, nam ætas est puerilis, & vires in carnoso genere corruunt, absumitur totum corpus; cauteria tamen nonnunquam nō intermittenda, immò Antiqui transactâ septimâ die solebant inurere caput, & crustas moliri. Hodiè fonticuli parantur in brachiis, nuchâ, & cruribus, prout necessitas expostulaverit ad expurgationem pravorum humorum; sæpè catarrhi fluunt à capite, sæpè bilis generatur in jecore, frequenter pituita à stomacho, hæc igitur excrementa facilè curantur per cauteria, & nutritiva virtus validior evadet ad restaurandum, & melius debellabitur caussa malefica, quando corpus ab excrementorum sarcinâ erit liberatum. Præter hæc, frictiones molles etiam adjuvabunt ad alliciendum alimentum, & sanguinem, dilectum naturæ filium, unicuique parti.

Th. LV. Fons postremus dicitur DIAETETICVS. Conveniens autem victus ratio sit à toto temperamento, & totâ substantiâ, quam etiam nutrici & ægris applicandam censemus, & modò erit refrigerans, modò calefaciens, perpetua tamen adsit alexipharmacorum admixtio. Eligatur primò Aër diversitati causarum moderatè contrarius. Suffumigia, sano sensu intellecta, exulare non debent. Inprimis verò CIBI maxima habenda ratio; multæ sint nutritionis, facilis digestionis, boni succi, paucorum excrementorum, & qui non mox discutiantur, sed commixti alexipharmacis: tales autem cibi, sunt, ptisana, vel ejus cremor, avenata, amygdalata, hordeacea, pulmenta, ex amylo, oryza, aliis, confecta, inprimis verò Lacte, quò vix quicquam convenientius esse, ab authoribus traditur, cùm non solùm alat, sed etiam medicamenti rationem habeat. Quibus accedunt, species lapidum pretiosorum, margaritæ. C. C. rad. angel. odorat. cinnam. caryoph. mosch. ambr.

Th. LVI. Et quoniam omnis attrahendi & coquendi vis in emaciatis vis sit debilis, liquidiora alimenta ipsis conveniunt, cùm facile distribuantur & coquantur, talia autem deprehenduntur, ova sorbilia, destillata ex carne hirundinum, ex canceris, testudinibus. Guainerus ranas addit virides. Colle morsellos quosdam sic parat: Rec. pulp. seu lactis testium gallorum unc. 2. pistaceor. nucleor. pineor. s. peponis, bombacis, an. unc. ß. margarit. præpar. scr. 1. cinnamom. scrup. ß. c. sachar. & aq. ros. F. morselli.

Th. LVII. Potiones variæ exhibeantur ex prædictis, & præsertim juscula destillata. Vinum aliquando conceditur, sed album, tenue, & concinnatum alexipharmacis indigitatis, nempe cort. citri, rad. angelic. aliis. Somnus imperandus consueto longior, qui corpus & vires miro modo reficit. Vigilia autem in frigidis prodest. Exercitationes corporis & animi & lætæ, & leves, & faciles, resumendis viribus accommodant. Repletiones ad restaurationem deperditæ substantiæ auxiliantur. Alvus perpetuò mollis esse debet, ad quotidiana excrementa primæ, secundæ, & tertiæ concoctionis dissipanda. In quibus omnibus, rerum nonnaturalium titulo insignitis, probè consideranda, ætas, tempus anni, consuetudo, circumstantiæ aliæ.

Th. LVIII. TANDEM esset procurandum symptomatibus concomitantibus, nempe, inappetentiæ, vigiliis, quas excipiunt ploratus vehementes, inquietudines, sed hisce plenè occurrere, temporis ratio, cujus angustiâ præcludimur, permittere non videtur.

Th. LIX. CVRATIO reliqua DIVINA. In omnibus quidem corporis affectibus nunquam in remediis naturalibus subsistendum, sed semper summi Iehovæ auxilium seriis & devotis precibus implorandum; hoc tamen inprimis hîc observandum, & summè necessarium est, quia etsi diabolus sæpè causis naturalibus utitur, tamen vel ipsius causæ natura nos latet, vel modus agendi ignotus est: adhæc diabolus causarum in contrarium agentium vim permissu Dei impedire potest.

Th. LX. Ideoque cùm remedia naturalia non sufficiant, ad divinum auxilium & Curationem, tanquam sacram anchoram, unicè recurrendum; & ille, cujus sermo omnia sanat, & qui omnia potest in omnibus, calidis precibus invocandus; cujus occulto judicio cùm ita corripiamur, ipse quoque solus sit liberatio nostra necesse est.

Th. LXI. Dæmonis quidem potentiam magnam scimus, nec hoc tamen ignoramus, illam, quanta, quanta sit, divinæ subjacêre majestati, abs cujus permissione, ne in bestias quidem quidquam potest. Illâ igitur limitatâ, & fortiter restricta, precibus insuper fusis ardentissimis, firmiter credendum, pieque sperandum, gratiam Dei nobis obventuram, diabolique potestatem in fumum abituram. Vt haud dubiè sibilo illo dæmonem excipere poterimus, quô vox Iuliani Sabæ cædem *Iuliani* apostatæ: *Sus agrestis* vastator vineæ Domini pœnas exolvit injuriarum ergà Dominum suarum, & nunc jacet mortuus, neque amplius ab ejus insidiis metuendum est. Securè etiam licebit voces nostras, Antiochenis ob cædem eandem Iuliani exultantibus jungere; VBI SVNT VATICINIA TVA, O MAXIME, O STVLTE DAEMON? VICIT DEVS ET CHRISTVS EIVS!